

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Level Two Medieval Latin Examination

5 September 2008

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Proof of God's Existence (Alexander of Ashby)

Nouit princeps tenebrarum quante efficacie et utilitatis sit hec lux et iccirco quoscumque potest in tenebris detinere nititur, ne procedant ad hanc lucem et illuminentur. In profundo tenebrarum detinentur gentiles qui unum esse Deum omnipotentem diffitentur, cum possent tamen ratione dictante ex creaturarum consideracione creatoris habere cognicionem. Unde Apostolus: 'Inuisibilia Dei a creatura mundi, per ea que facta sunt, intellecta conspiciuntur.' Quicquid enim sapienter dispositum est, aliqua sapiencia dispositum est. Celum, sol, luna, stelle et cetera creata sapienter disposita sunt; ergo a aliqua sapiencia disposita sunt. Quod autem illa sapiencia ultra omnem creaturam sit, et Deus sit, et omnipotens sit, patet, quia ut in libro Sentenciarum dicitur: 'Ea fecit que nulla creaturarum facere uel destruere potest. Accedat quecumqueuis creatura et faciat tale celum et talem terram, et dicam quod Deus est. Sed quia nulla facere talia potest, constat illum ultra omnem creaturam esse qui hec fecit.'

2. An improper marriage proposal (Boniface)

Interea quaerere et interrogare paternitatis vestrae consilium debeo de quadam confusione et scandalo predicationis, quae nuper ad nos veniens mentem nostram conturbavit et sacerdotibus ecclesiarum verecundiam incutiebat. Quia laicus quidam magne personae ad nos veniens dicebat sibi ab apostolicae sedis pontifice sanctae memoriae Gregorio datam fuisse licentiam, ut in matrimonium acciperet viduam avunculi sui. Quae et ipsa fuit uxor consobrini sui et ipsa illo vivente discessit ab eo; et isti viro, qui nunc eam accipere desiderans adfirmat sibi licentiam datam, in tertio gradu propinqua illius esse dinoscitur et votum vovit Deo castitatis et velata fuit et iterum abiecto velamine maritata. Tale enim matrimonium supradictus homo sibi ab apostolica sede adfirmat esse concessum. Quod non estimamus esse verum quia synodus et ecclesia, in qua natus et nutritus fui talem copulam et matrimonium maximum scelus et incestum et horribile flagitium et damnabile piaculum fieri ex auctoritate sanctae scripturae iudicabant.

3. Bishop Wulfstan is summoned to calm a Northern revolt (William of Malmesbury)

Quinto anno collati Vlstano episcopatus, rex Edwardus fato functus ingens seminarium discordie reliquit Anglie, hinc Haroldo, inde Willelmo comite Normannie legitimo eam iure clamantibus. Et tunc quidem Haraldus, uel fauore impetrata uel ui extorta corona, regnum paulominus totum obtinuit. Soli Northamhumbri magnum et gentile tumentes interim parere distulere, aquilonalem ceruicositatem australi, ut dictitabant, mollitiei subiugare non dignati. Animabat eos ad tyrannidem et insolentia sua ingentes eorum alebat spiritus Tostinus, eiusdem regis frater nec fortitudine degener, si ardens ingenium tranquillis studiis applicare maluisset. Qui postmodum in eadem prouincia cum Haraldo rege Noreganorum, quem in suffragium ascuerat, cesus penas inconsulte animositatis pependit. Tunc uero Haraldus eo profecturus, ut contumaciam eorum lenioribus curaret remediis, quandoquidem ferro frangere consilium non erat, sanctum uirum secum adduxit. Sic enim fama sanctitatis eius etiam abditissimas penetrauerat gentes, ut nullam non arrogantiam molliturus crederetur. Nec uero citra opinionem rei fuit euentus.

4. **A lover declares his fidelity (Note: this is a poem. DO NOT PANIC)**

Lingua mendax et dolosa,
 lingua procax, venenosa,
lingua digna detruncari
 et in igne concremari,

Que me dicit deceptorem
 et non fidum amatorem,
quam amabam, dimisisse
 et ad alteram transisse!

Sciat deus, sciant dei:
 non sum reus huius rei!
sciant dei, sciat deus:
 huius rei non sum reus!

Unde iuro Musas novem,
 quod et maius est, per Iovem,
qui pro Danae sumpsit auri,
 in Europa formam tauri;

Iuro Phebum, iuro Martem,
 qui amoris sciant artem;
iuro quoque te, Cupido,
 arcum cuius reformido;

Arcum iuro cum sagittis
 quas frequenter in me mittis:
sine fraude, sine dolo
 fedus hoc servare volo!